TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE

DE

GLANDULA THYROIDEA;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES TAYLOR,

Scotus.

IV. NONAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Faciliusque intelligetur, a diis immortalibus hominibus esse provisum, si erit tota hominis fabricatio perspecta, omnisque humanæ naturæ figura, atque perfectio.——CICERO.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIV.

PATRI SUO CARISSIMO,

THOMÆ TAYLOR,

VIRO PROBO,

AC

PARENTI BENIGNO,

HASCE PRIMITIAS STUDIORUM,

SUMMA PIETATE

CONSECRAT

AUCTOR.

TENTAMEN

INAUGURALE

DE

GLANDULA THYROIDEA.

PROŒMIUM.

COPIAM rerum, de quibus tentamina hujusmodi scribere fas est, sat superque profusam esse, nemo, ut puto, negabit. In Chemiæ, Pharmacologiæ, Botanices, Anatomiæ, Physiologiæ, Medicinæque Theoreticæ et Practicæ, regionibus vastis et amœnis, quarum pars novissima, et vix pedibus hucusque calcata, pars, fortasse magna, prorsus intacta,—in tot tantisque plagis, qui, ne vel

casæ unius situm aptum et commodum reperiat, procul dubio vel multiplice delectu distrahitur, vel artis ædificandi, mirum in modum, imperitus est. Lector, tamen, licet fascini expers, augurari poterit, et vere, me talibus angustiis misere pressum fuisse.

Minime diffiteor, thema mihi idoneum, diu nullum invenisse. Imprimis enim, statuebam aliquid quantulum sit cunque novi, vel saltem non triti, proferre. Ac, si quis propter hocce propositum, me arguat animi præfidentis, et modestiæ tyronis haud quaquam consentanei, liceat mihi, tali respondere, scientias nihil incrementi accipere, doctrinis certissimis decies vel centies decantatis, et scripta quæ cognita argumenta solummodo iterant, nisi elegantia placent, prorsus inutilia, imo noxia, et reprehensione digna. Quid porro, homini opus vilius, vel turpius, quam non secus ac machina, scribere verba, quæ auditorii columnæ vix non blaterare possunt. In-

super, non nisi nomine *tentamen* est, quod ex una in aliam linguam tantum transfertur, multo minus quod ex libro auctoris, in paginam fœdam plagiarii exscribitur. Omnem profecto, qui Apollini donaria studet deferre, nec de talento et tresse diversa est ratio, oportet, vel rem aliquam obscuram et latentem ostendat, vel de rebus perspectis novas sententias tradat.

Sors autem mihi infelix fuit, medicinam ac scientias cognatas, solum in scholis didicisse; quapropter, usu et experientia ferme nihil compertum habeo, nec quicquid scio, non libris ac prælectionibus longe lateque vulgatum. Itaque, si de re magni momenti aliqua *activa*, puta Opio vel Febre, disserere statueram, facillime quidem, tractatus reperissem, eosque Latine, ex quibus ope dextræ et calami, non libellum, sed tomos opera Hippocratis vel Galeni ad molem exæquaturos, confecissem, ne quid tamen, vel novum vel vere meum, edere potuissem. Restabat igitur,

ut aliquid generis alterius, *contemplativi* nempe, cœptarem. Et sane hæc pars philosophiæ, quamvis per secula multa, viris apprime doctis, et summo ingenio præditis, pie ac sedulo culta, absoluta haudquaquam evasit. Sunt contra, arcana naturæ permulta nondum lustrata. De rerum non vivarum commerciis, dotibusque plantarum, eruditi quæstionibus dubiis anxie vexantur; et de viscerum corporis animalis muneribus, medicaminum viribus, deque causis et sedibus morborum, quotidie disputant medici.

Non igitur vituperandus est, quasi opus supervacaneum susceperat, qui studiis hujusmodi sese exerceat; neque necesse est illum de nugis versari. Vix tamen, sine periculis consilio proprio institutis, et, quæ mihi deerant, facultates cum otio postulantibus, vix aliter potest proferri opinio, simul credibilis et nova. Sin vero nihil tale obstaret, certe non juvenem decet, controversias inire cum viris gravibus, pariter doctrina et ævo.

Quare, si mihi sententia privata esset, de Acido Muriatico, vel Generatione, vel Diabete, vel Inflammatione, vel alia ulla rerum infinitarum, de quibus solent docti disceptare, eam referre non ausus essem, nisi argumentis firmissimis stabilita. At, *Glandula Thyroidea* physiologis hodiernis notatu indigna videtur; hypothesis nulla de usu ejus recens emissa fuit, et veterum opiniones, quippe quæ vitiosæ, absit impietas, in oblivione conduntur. Quocirca mihi concessum sit, summa observantia, eruditorum examini, de hac re conjecturam subjicere, quæ, quantum scio, nova, et ut spero, non prorsus absurda.

Argumenta, quibus nititur hypothesis, ne me ipso quidem satis valida habentur. Sed cum consentiunt omnes, partem corporis humani tam magnam, tam sanguine saturatam, usui alicui esse inserviendam, et cum usus nullus in aprico est, si dialecticis obedire velimus, nos decet eum esse usum credere, qui verisimilior videtur. Hoc

pacto, dabitur fortasse, munus hic propositum si non unicum vel præcipuum sit, saltem ex visceris muneribus esse.

De Glandulæ * structura, pauca dicere visum est, quo commodius ad usum ejus progressum sit; nec morbos silentio, quamvis nondum satis enucleatos, et visceris munus ferme nihilo detegentes, omnino præterii.

Hæc sunt L. B. quæ tibi præfari volui. Ex

---

* "Nous ne donnons pas le nom de glande à ce corps, parce qu'il ne presente pas le conduit excreteur, partie indispensable pour constituer une glande."—Diction. des Scien. Med.

Si ductus excretorius, vere sit pars necessaria glandulæ, procul dubio voce abutor; credo enim, ut postea fusius dicam, viscus de quo disseritur, nec talem appendicem habere, nec eo egere. Etymologia, tamen, ne tam arcte sensum cohibere videtur, et consuetudo antiqua, indurata, et quodammodo sancta, nominis mutationem vetat.

æquo enim fuit, tibi rationem reddere, cur thema tam insuetum elegeram; et quod ad me attinet, opus quidem erat, enixe rogare, ut facilis ac lenis hasce ineptias condones. Certe, nihil ad rem medicam spectans, scripsissem, nisi quo statutis Academiæ parerem.

DESCRIPTIO ANATOMICA.

De Glandulæ forma, magnitudine, situ, prolixe verba facere intempestum foret. Jacet, ut didicit quisque elementis anatomiæ institutus, supra tracheam, juxta Cartilaginem Thyroideam, unde nomen accepit. Musculis obtegitur a summo Sterno, ad cartilaginem modo memoratam et Os Hyoide extensis; premitur quoque musculis Homo-Hyoideis et partim fortasse Sterno-Mastoideis. Constat ex lobis ovatis duobus; vel potius, glandula duplex rencenseri debet, et per isthmum

in medio conjuncta. Dantur interdum, sed raro, glandulæ plane duæ; attamen cum res ita se habent, lobi utriusque, glandula integra occupat locum, et, si isthmum deficientem excipias, nil insuetum videtur. Portio, lobi nempe, obtusior et major, lateri adsidet tracheæ, annulos tres quatuorve summos obducens; tenet portio acutior et minor Cartilaginem Cricoideam et imam Thyroideam; infra Cricoideam isthmus transversim procurrit. Appendicem, seu columnam, versus Os Hyoide surgentem, glandulas quoque sejunctas memoravere nonnulli: appendix vero nec semper adest, nec formam certam ostendit, et glandulæ sejunctæ, quippe quæ conglobatæ, a nostro negotio et Thyroidea, pariter alienæ. In hominibus ætatis florentis, pondere æquat drachmas circiter octo, inque cadavere recente color ejus ut Parotidum rubet, ac tactu vix ab illis potest distingui. Quod ad magnitudinem attinet, lobus uterque par, plus minus, auriculæ est. Viscus, tamen, ut arterias, amplius pro rata parte in in-

fantibus quam adultis, et in fœminis quam maribus, reperimus.

Sanguine suppeditatur per arterias quatuor; lobo utroque duabus instructo, quarum altera ex Carotide Interna originem ducit, altera prodit a Subclavia juxta Vertebralem nascentem. Arteriæ illæ, quæ, si HALLERO olim præclaro credamus, vix non Carotidem Internam ac Vertebralem conjunctim exæquant, partes irrigant contiguas; sed copiam sanguinis in Glandulam infundunt, quam ramulis suis conficiunt. Venis quoque magnis, quarum numerus non semper idem, instruitur, quæ sanguinem reducem vario decursu ad Venam Cavam Superiorem provehunt. Surculos nervorum accipit a ramis, qui, ex propagine conjuncta Paris Octavi et Sympathetici Magni, formantur. Musculus proprius, necnon, vel saltem fibræ carneæ nonnullæ, adsunt plerumque; illæ in basi Ossis Hyoidis originem habent, et in Glandulæ involucrum inseruntur.

Structura tamen interior nostrum maxime interest; sed quanto magis optanda cognitio ejus, amplexu difficilius tanto; nam enim, hac de re commenta auctorum diversa, auctoribus ipsis numero superant; et cum viri tot et tanti nominis, quorum sententias longum et inutile esset referre, Glandulam speciatim descripserint, ferme insolens foret, qui propriis oculis implicite fideret, vel quæ ipse vidit, memineret. At credere lætor, hypothesi nam arridet, Glandulam esse interne, qualem omnes agnoscunt; et illi nihil eorum pertinere quæ tribuunt alii, alii negant. Ambagibus igitur omissis, omnique prætextu exuto, viscus revera est plexus vasorum, in tela cellulosa involutus. Ductum excretorium, nemo temporibus nostris vel vidit, vel vidisse opinatur. " Les dissections," ait auctor jam citatus, " les plus minutieuses n'ont pu demontrer les conduits excreteurs dans cet organe." Vesiculas, cellulas, humorem flavescentem, et alia plurima adesse interdum non dubitatur: sed scrutatores, multi se-

duli ac perspicaces, quasi nodos in scirpo hæc quæsiverunt: et semper reperienda esse nescio an quis affirmet. Cur igitur crederemus vel suspicaremur, quicquid tale Glandulæ sanæ proprium? Certo, de rebus non apparentibus, et non existentibus, in anatomia haud secus ac in dialectice, eadem est ratio. Cæteroqui, glandulis secernentibus dissimilem Thyroideam reperimus. In illis tubos arteriosos * perquam graciles, et ferme infinitos, in hac arterias multo ampliores observamus; in illis arteriarum cum venis commissura abdita, in hac manifesta; per illas arte Ruyschiana latices tenues ægre propelluntur, per hanc materiæ longe crassiores libere fluunt.

DE MORBIS QUIBUS GLANDULA THYROIDEA OBNOXIA EST, VEL SALTEM QUIBUS VULGO AFFICITUR.

PRINCEPS eorum, quem Bronchocele vocarunt nosologi, est tumor mollis, nec pulsans, nec fluc-

---

* In Hepate tubi illi venosi sunt.

tuans, inter Musculos Sterno-Mastoideos et infra Cartilaginem Thyroideam, e collo protrudens, magnitudine varius, ac terminis nullis præscriptus. Sæpissime, lente ac paulatim augescit; diu, imo per totam vitam, permanet: sic *chronice* incedens raro dolorem, plerumque vix incommodum affert; nec desunt pro corporis decore et ornamento ducentes. At aliquando, repente conspicua evadit et cito evanescit. Interdum, tracheam premendo, respirationem impedit; crebro, cephalalgiam facieique suffusiones, Venis Jugularibus pariter lædendo, inducit.

Regionum quarundam * incolas endemice vexat, impuberes præ maturis, fœminas præ viris, strumæque proclives præ cæteris invadens. Est quoque notabile, gravidas præsertim parturientes

---

* Harum maxime celebratæ sunt valles inter Alpes et plagæ circumjacentes, insulæ Sumatra et Java; nostratum quoque Dorvetanorum non paucos deformat.

morbum adoriri, et post partum recedere. Corripiuntur necnon aliqui, canendo vel vociferando semet exercentes immodice. At nexum inter *causam proximam* et aliquam *causarum excitantium* nemo hucusque monstravit.

Cadavera secando invenimus Glandulam tumori sedem præbere; at disputant pathologi de mutatione quam subiit viscus. Docuerunt alii, Bronchocelem esse hydropem Glandulæ, alii aneurisma; plurimi Glandulam ipsam, cæteri telam cellulosam contiguam occupari.

Sententiæ illæ discordes, causis duabus, nisi fallor, ortæ fuere. Imprimis scriptores quidam vocem Bronchocele, ad pauca exempla sibi ipsis visa, nimis arcte definire voluerunt. Hinc evenit, *descriptiones* non *characteres* dari, illasque necessarie tam varias quam multas: nemo enim, cadaverum morbo quovis vitiatorum sectioni assuetus, ignorat, conditionem internam plus, minus,

diversam reperiri, etiamsi molestiæ de quibus conqueri ægrotantes solerent perquam similes fuissent. Dissensionis causa altera, modo dictæ est penitus contraria. Tumori omni in collo, sine discrimine, inditur interdum nomen Bronchocele. Unde, hoc morbo affici dicuntur ii nonnunquam, in quibus Glandulam insontem post mortem reperimus. Auctores tamen optimi, viam mediam tenentes, docere videntur Bronchocelem exploratam scalpello, esse Glandulam Thyroideam vel ejus partem aliquam tumefactam humore, cujus color et spissitudo variant, incluso vesiculis inter plexum arteriarum qui Glandulam facit locatis, arteriis ipsis sæpe dilatatis, et cute cum tela cellulosa ei subjacente raro mutata. Minime autem necesse est, ita credentem negare, tumores longe alios, et Bronchoceles imaginem externe simulantes, in collo repertos fuisse. Aneurisma Carotidum nemo sanus fabulosum habebit; steatoma quoque in regione illa, ut in alia omni, haud dubie nascatur, dum Bronchocele vera omnino absit.

Rationes medendi nunc leviter attingam. Si tumor inveteraverit, vel ut aiunt medici, *chronicus* evaserit, vix ullo remedio foret sanandus. At si symptomata gravia fiant, si nempe respiratio difficilis sit, vel si cephalalgia urgeat, hirudines collo adhibitæ, pro tempore forsan levamen ministrent; vel ulcus, arte chirurgorum, ibi utiliter formetur. Sin vero recens adortus fuerit morbus, medicamentis quæ vasa absorbentia ciendi virtute pollent, non sine spe utatur ægrotans. Colli frictiones frequentes et validæ imprimis laudantur. Nec reticere debeo, rem nuper philosophis compertam, Iodina dictam, pro remedio specifico nonnullis * haberi. Glandulam corruptam excisam fuisse narratur; quis autem venas, arterias, nervos in vicinio cognoscens, factum non temerarium putabit?

Morbis aliis quibusdam, scilicet phlogosi, sup-

---

* Doctore COINDET, Genevensi, ejusque sequacibus.

puratione, et scirrho, sed rarius Glandula afficitur. Illi, ratione eadem ac affectiones similes in glandulis aliis, curandi sunt. In cartilaginem vel os aliquando, partim vel omnino viscus mutatur. Sed id genus morborum, dum vivat captus, vix dignoscere possunt medici; et subsidia præstare nequeunt, nisi symptomata generalia inducta sint, quæ remediis idoneis solitisque leniantur. De morbis igitur plura dicere nolo, nihil enim didici de illis quod hypothesin de Glandulæ functione vel deprimat vel suffulciat.

DE GLANDULÆ THYROIDEÆ UTILITATE.

Sententiæ multæ ac diversæ de hac re, olim prolatæ fuere: omnes tamen merito abdicuntur, quippe quæ fundamento nisæ injusto. Semper enim pro concesso assumptum fuit, Glandulam hanc, quod ad fabricam internam, glandulas sicernentes imitare, et ductu excretorio instrui.

Anatomia vero recentior et exculsior hallucinationes hasce explosit; ac, ut mihi videtur, visceris structura munus ejus esse maxime *mechanicum* suadet. Quoniam porro, ex vasis sanguiferis solummodo constat, sanguinis circulationi inservire verisimile est.

Si lector hoc daret, proponere ausim hypothesin, " Sanguinis copiam versus caput transmissam corporis conditionibus diversis, Glandula Thyroidea temperari; i. e. cum sanguis impetu nimio per Carotides urgeatur, vel propter decubitum, vel Aortam Abdominalem musculis compressam, vel febrem, vel causam aliam ullam, sanguinis rivum vehementem, superfluum, et exitialem, per Glandulam, quasi per emissarium, partim a cerebro divertere."

Et in limine, non verbis opus est probare, causis modo memoratis et aliis nonnullis, sanguinis partitionem et momentum turbari; nec sanguinem

nimis abunde aut impetuose capiti illatum, et incommodo et discrimini esse cuique animalium. Cor sanguinem in primam aortam propellens, vi nulla pollet eum per arterias æquabiliter dispertiendi ; nec arteriis ipsis præest ARCHÆUS, qui sanguinem sapienter per corpus dispendat. Sanguis contra, ut aqua in fistulis plumbeis implicita, vi a tergo propulsus, improvide fluit quocunque remoras facillime superet. Ex hoc plane liquet, remoris solitis, quæ sanguini ad partem aliquam obstent fluenti, vel auctis vel minutis, eum ad partes reliquas, copiosius vel parcius sese necessario collaturum esse; v. g. si pondus columnæ hydraulicæ in colli arteriis, corpore reddito prono, pene vel penitus aboleatur, sanguis facilius et tanto liberius ad caput ascendet. Hæc sententia, minime nova, exemplis plurimis potest firmari. Sed, ne cætera prolixe referam, in debilibus syncope sæpe accidit dum corpus subito erigatur, propter, ut vulgo putatur, sanguinem cerebro deficientem ; decubituque cephalalgia, ratione contraria, haud raro intenditur. Auctoritas pariter

adest. Cullenus post fata immortalis, et alius ferme quisque, inter causas vasorum in capite distensorum, et fluidi in cerebrum effusi, Aortam Abdominalem valde compressam recenset. Motu cordis quoque præter naturam peracto, ut in febribus accidit, sanguis impetu iniquo ad partes omnes emittitur, at cerebrum, viscus ante omnia molle ac tenerum, sæpe injuria quam maxima afficitur, dum corpus reliquum pariter sanguine pressum vix omnino laboret. Sine nisibus vero, musculos abdominales cientibus, itaque aortam prementibus, certe sine decubitu frequente, vitæ muneribus nemo fungatur; nec a febre immunem aliquis sese conservet. Quare comati, apoplexiæ, et paralysi vix anteferendæ, perpetuo sumus obnoxii.

Hisce præfatis, supervacaneum vel non necessarium organum ducetur, quo clades tam diræ, tam irreparabiles, præcaveantur? Num inutile sit, cerebrum, cum animi, tum corporis sanitatem,

amplectens, a læsione defendere! In machinis quibusdam arte humana confectis, præsertim in machina illa, ut gloriam Anglorum anglice nominem *The Steam-Engine*, valvulas ad salutem reperimus; a priori igitur, negabimus vel mirabimur tale artificium corpori animali competere, machinæ præ omnibus multiplici, exquisitæ, et arte Divina consummatæ?

Superest, tamen, solvenda quæstio præcipua de qua res tota pendet. An, videlicet, valvulæ istiusmodi munere, Glandula Thyroidea fungatur? Et nullus jam dictum retracto, argumenta quæ mihi ipsi placerent deesse; itaque non hypothesin quasi dogma impono, quod nemo sine hæresi dubitet. Sed HALLERO, viro tanto, libenter, plene, et, ut decet, honorate, assentio dicenti, "Utilitatem certo neque exiguam ab enormi copia sanguinis, expectasse licet, quam continuò ostendemus ad hanc glandulam venire et ab ejus glandulæ in quadrupedibus omnium classium etiam Amphibiæ con-

stantia." Cum igitur hypothesis unaquæque adhuc prolata, omnium consensu repudietur, non supplicio gravissimo dignus videtur qui Glandulæ munus attribuat, simul utile vitæ et visceri congruens. Munus vero hic propositum utile esse, supra ostendere volui; visceri congruere nunc breviter monstrare conabor.

1mo, Sanguini transitum facilem ac solutum, Glandula potest præbere. Ex arteriarum quæ Glandulam faciunt, magnitudine, ac colligatione laxa earum, in tela cellulosa, hoc plane apparet; vix minus manifeste ex periculis cum cera in cadavere institutis. Nam enim, materia illa in Arterias Thyroideas injecta, per venas libere effluit. 2do, Sanguinis quantitatem per viscus transmissam variare insigniter, ratione vis impulsoriæ, plus quam credibile est. Hoc quidam dici potest de arteriis omnibus, de illis præsertim, quæ musculis premuntur; at sensu altiore ac peculiari etiam de Glandula Thyroidea, nam ejus arteriæ

huc et illuc torquentur, ideoque musculorum pressura, vel saltem pressuræ effectus, mirum in modum augetur. Liquet enim, ut puto, remoram sanguini allatam ex arteria subter musculum tendente, toties duplicaturam esse, quoties subter eum rediret arteria. Verisimile ergo est, sanguinem parce, pro ratis arteriis, per Glandulam sua sponte transire. Quum vero, causa aliqua sanguis impetu insolito capiti afferatur, et cerebri arteriæ tensæ factæ copiam adauctam accipere nolint, musculos Glandulam tegentes cedere pauxillo cogit sanguis compressus, ac per illam proruit. 3tio, Arteriæ Thyroideæ magnæ sunt, Carotidibus et Vertebralibus comparatæ, itaque idoneum pro re nata subsidium possunt ministrare. Si longe minores fuissent, hoc Glandulæ munus insulse tribuissem. Postremo, musculi Glandulam tegentes graciles sunt et sanguinis impetu apti moveri. Hisce argumentis, mihi persuasum est Glandulam Thyroideam usui supra exposito inservire.

Objectionibus multis autem, facile prævideo, hypothesis obnoxia est. "Ut enim," inquit CICERO, "in causis judicialibus alia est conjectura accusatoris, alia defensoris, et tamen utriusque credibilis; sic in omnibus iis rebus quæ conjectura investigari videntur, anceps reperitur oratio." Objectionum nonnullis igitur, verbis quam paucissimis, respondebo.

1mo, "Arteriæ Thyroideæ non originem ducunt ex arteriis quæ sanguinem ad cerebrum vehunt." Oriuntur tamen ex truncis, qui hiscum arteriis liberrime communicant, itaque illas exonerare possunt, ratione eadem qua medici quotidie Arteriam Temporalem secari præcipiunt, quo cerebri arteriæ laxentur. 2do, "Tumefactio colli accidere debet dum Glandula munere fungatur." Tumefactio levis tantum, postuletur legitime; sanguinis enim *diverticulum* non *receptaculum* Glandulam esse teneo. 3tio, "Arteriæ aliæ, capitis externæ nempe, munere isto funguntur."

Concedo, at in modum comparate exiguum ; opus est quoque, et illis et Glandula Thyroidea, nec semper utræque sufficiunt. 4to, "In senibus Glandula decrescit, ac interdum vix non omnino discedit." In illis etiam arteriæ validiores factæ sunt, itaque difficilius præter naturam queunt distendi ; sed hi, notabile est, paralysi et apoplexiæ maxime obnoxii sunt. 5to, "Munus allatum est mere *mechanicum*." Ossium, cordis, et musculi cujusque, munus, ut apud omnes constat, est æque generis illius proscripti. 6to, "Glandula excisa fuit sine eventu lethali." Functionem vitalem, ut vocant physiologi, ei non attribuo. Machinæ quibus dantur valvulæ ad salutem, non omni temporis puncto, appendice tali egent. Valvulæ nihilominus apprime utiles sunt ; ac ita de Glandula censeo.

Pensum jam nunc absolvi, et rem totam animo repetens, satis dictum fuisse puto, ut lector ad minimum credat sanguinem dum impetu in-

solito versus caput propellatur, rivo aucto per Glandulam fluere, et cerebrum, hoc modo, salvum aliquatenus servari. Qui vero hæc credit, non iterum dicat se Glandulæ Thyroideæ utilitatem *prorsus* nescire.

At manet hypothesis ut judicent docti. Illis humillime cedam.

Dissertationem præeuntem scripseram, et ferme prelo subjeceram, cum librum Doctoris Parry, cui titulus " Elements of Pathology and Therapeutics," perlegens, invenirem, munus hic Glandulæ Thyroideæ adjudicatum,—munus saltem ad finem eundem spectans, auctorem illum partibus aliis, scilicet glandulis secernentibus circa caput, et cerebri membranis, attribuisse *.

* Pp. 101, 102, 103, 104.

Sententiam istam mirandam minime dicam, sed multum miratus sum hæc verba reperire continuo, "Such contrivances as these are so general, that I recollect only two instances in the adult, which can be considered as exceptions. Of these, the first is the Thyroid Gland, which has no known excretory duct, and the uses of which are hitherto undiscovered." Lætitia exultans mecum reputavi, quam cupide, vir ille magnus, cujus obitum ploravimus, hypothesin meam amplexisset. Certe, dixi, magis verisimile est Glandulam Thyroideam quam partes illas munere tali perfungi; Glandula quoque longe amplius, hoc modo, valere potest. Sic, non diu, memet hallucinatus sum. Brevi enim, inter librum versandum, legi perculsus, quæ proxime transcribam. "But of all the examples of enlargements of glands, with scarcely any disposition to inflammation, or its common consequences, the most remarkable is that of the thyroid gland, constituting what is usually called goîtres, or bronchocele. I have so

often seen this swelling follow diseases of the heart, and other maladies, more especially those called Nervous, such as epilepsy, &c. in which the blood is propelled with excessive momentum to the vessels of the head, and yet, at the same time, have observed such sudden augmentations and diminutions of the swelling, that I have suspected the gland itself to be intended as a diverticulum for blood disposed to flow with too great force to that important organ, the brain *." Non mihi igitur, laus sit hypothesis novæ proferendæ; neque tamen hypothesin hanc, viro tam observato prolatam atque sancitam, aliquis dicat absurdam.

Veniam, denique, roganti, nam ridicule erravi, liceat hactenus meipsum de culpa liberare. Liber Doctoris Parry, quamvis nuper editus, libris plerisque recentibus dissimilis, apud bibliopolas per annos aliquos novissime præteritos non pro-

---

* Pp. 187, 188.

stitit venalis, sed lucem ferme penitus effugit. De hypothesi, insuper, non modo cum familiaribus disputavi, sed etiam viris quibusdam eruditis, inque physiologia maxime versatis eam subjeci, quorum nemo conjecturæ *novitatem* impugnavit. Datur ergo solatium, parvum et unicum, eheu! pectore imo conscire hunc libellum pusillum quidem et vanum, licet tardo ingenio "crassaque Minerva," tamen absque monitione aliena, hypothesin innuente, confectum fuisse.

FINIS.